



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Vniversalis Historiæ Ecclesiasticæ Medvlla

Pareus, Daniel

Francofurti, 1633

Concilia, Sive Synodi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64973](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64973)

& author creditus est. Ab eo, qui secuti sunt hæretici, Manichæi dicti sunt. Cœpit autem hæresis Manichæorum nomine innotescere, sub Aureliano Imperatore, & Felice Romano Episcopo, circa annum à Christo passo 247. Latissime vero citissimeque propagata est. Nam ex Arabia statim in Mesopotamiam & Persidem delata est. Ex Perside in Syriam rediit, & in Ægyptum, Africam, Hispaniam, Galliam, mare trajecto penetravit. In Asia etiam, Paphlagonia, & reliquis orbis partibus multos infecit. In Arabia tamen, Persia, & Ægypto, maxime viguit, & diutissime substitit: vnde postea Mahumetiūmus, tanquam ex serpentis viperæque ovo enatus & exclusus, Neq; vlla fuit Acherontis cauerna, vnde tot repente pestes prodierint, quam ex infernalibus vnus Maneris faucibus. Fuit autem Manes, natione Persa, qui, postquam multos in fide labefactasset, adeoq; suis incantationibus Regis Persarum filium necasset, viuis ab eo excoriatus est, sicque, insignis illa humani generis pestis tandem periit.

CONCILIA, SIVE SYNODI.

Post Apostolorum tempora ad decidendas controuersias Ecclesiasticas congregatæ sūt sæpe Synodi, etiam ante Nicænam: verum illæ Synodi quasi particulares aut prouinciales habentur; quia feruente persecutione Christianorū generales synodos cōgregare n̄ licebat. Primæ cēturia post natū Christū exortæ hærefes absq;
Conci.

Conciliorum decretis feliciter refutatae sunt; excepta vnica Apostolorum Synodo, Actor. 15. In altera annorum à Christo nato cēturia, Marcion quidem & Cerdon, hæresin inchoarunt, nec non alii complurimi, sed de nulla istarum sectarum in Concilio actum, præterquam de controuersia Paschatos, ob quam aliquot Concilia prouincialia sunt conuocata, sub Imperio Commodi, circa annum Christi 181.

Synodum igitur Romæ conuocauit Victor, Romanæ Ecclesiæ Episcopus, in qua totius Asiæ paræcias, vna cum vicinis Ecclesiis, tanquam aliena sentientes, à communionis vnitæ abscindere conatus fuit. Sed eam Victoris vehementiam cum multi alii Episcopi, tum in primis Polycrates & Irenæus vehementer improbarunt. Tradit autem Eusebius, hac de causa Concilia esse conuocata per singulas quasque prouincias. Nam Theophilus Synodum Cæsareæ in Palæstina celebrauit. Similiter Irenæus in Gallia super eadem quæstione, de Paschate die Dominica celebrando, Concilium habuit: & Palmas Episcopus in Ponto: nec non in Achaia Bachylus; & in Asia Polycrates: quemadmodum etiam apud Ostroenem conuentus Episcoporum memoratur apud Eusebium.

Sub Imperatore Gordiano Beryllus, Bostrensis in Arabia Episcopus, impiam opinionem disseminauit; cuius hæreseos causa conuenerunt Episcopi: in primis vero Origenes vanitatem & impietatem opinionis illius ex verbo Dei demonstrauit, eoque Beryllum compulit, vt abie-

cta

ita peruersa sententia ad Orthodoxam Ecclesiæ doctrinam rediret.

Sub Philippo, primo Christiano Imperatore, exorti sunt quidam in Arabia, qui animas in hoc præsentis tempore vna cum corporibus mori ac corrumpi, & in futura resurrectione simul cum illis vitæ restituendas dixerunt. Conuocata igitur etiam ob hanc causam haud mediocri in Arabia Synodo, rursus vocatus Origenes, de questione hac ita publice disputauit, vt mentes eorum, qui antea seducti fuerant, ab errore auerterentur.

Philippo Imperatori successit Decius, qui persecutionem aduersus Ecclesiam concitauit, in qua cum multi metu mortis desciuisent à Christiana religione, Nouatus, Romanæ Ecclesiæ presbyter superbia contra lapsos inflatus, quasi nulla illis reliqua sit salutis spes, etiam si cuncta ad sinceram conuersionem & puram confessionem pertinentia, perficerent; propriæ hæresis, eorum videlicet, qui tumidi se ipsos Catharos, i. e. puros esse profitentur, authorem se ac Ducem constituit. Super hac questione, de lapsis ad Ecclesiam admittendis, quando pœnitentiam egissent, Synodos duas in Africa, siue Carthagine siue alibi, habitas fuisse, colligitur ex epistolis Cypriani.

Meminit Cyprianus, in epist. 53. ad Cornelium, alterius quoque Concilii Africani, in quo Felicissimus presbyter, ob seditionem & factionem, damnatus fuerit.

Et in eadem Epistola Cyprianus commemorat,

rat,

rat, Prituram veterem hæreticum, in Lambesirana colonia ante multos fere annos, ob multa & graua delicta, XC. Episcoporum sententia damnatum fuisse. Ibidem ait, Iouianum & Maximum in Concilio IX. Episcoporum, & iterato in Synodo plurium esse damnatos. Ista Synodi canuocata & celebrata fuerunt, non requisita Romani præfulis autoritate.

Eodem tempore Romæ 60. Episcopi diuersarum prouinciarum conuenerunt, quorum calculo Nouatus est cõdemnatus, summam decreti Synodici recitat Eusebius lib. 6. c. 42.

Concilium Carthaginense, (de rebaptizandis iis, qui ab hæreticis sunt baptizati, cuius affirmationem Cyprianus magno feruore tutatus est) celebratum fuit sub Imperio Galli, qui Decio successerat, anno Christi 152.

Sub Gallieno & Claudio Impp., conuenerunt Antiochiæ aliquot Synodi, aduersus Paulum Samosatenum, Episcopum Antiochenum. Hæ Synodi Antiochenæ non autoritate Pontificis Romani, sed communi nomine presbyterii, totiusq; Ecclesiæ Antiochenæ conuocatae sunt.

In Synodo Sesuana, celebrata anno Christi 300. nihil aliud gestum legitur, quã quod Marcellinus Romanus Pontifex, testibus conuictus est, quod in gratiam Diocletiani Imperatoris ex auaritia idolis thurificauerit. *Quinquam*

Ancyranum Concilium Ancyrae, quæ est Metropolis Galatiæ, congregatum est circa Imperium Constantini, anno Christi 300. In hoc conuenerunt aliquot Episcopi, qui etiam affuerunt in Concilio Nicæno,

COR-

Concilium Neocesariense celebratum fuit in
prouincia Ponti Polemoniacy, sub Melchiade,
Episcopo Romano, parum ante Nicænum.

IMPERATORES ROMANI A CON-
stantino Magno vsque ad
Phocam.

Tertia ætas Ecclesiæ à Constantino M. ad
Heraclium, vel Phocam, fortiter propugna-
uit veritatem de persona Christi, & de Spir. S.
contra hæreticos: & Synodos liberas sub Impe-
ratoribus Christianis habuit: Doctrinam v. de
officio Christi, & eius gratia, & quod cum Dei
gratia necessario cohæret, de prædestinatione,
omnium purissime illis temporibus tradidit Au-
gustinus; licet ignorantia Hebraici & Græci ser-
monis ei, & multis aliis sæpe imposuerit, sed &
tunc multæ superstitiones inuehi, multa loca
scripturæ per allegorias in alienum sensum de-
torqueri cœperunt. In primis vero à Greg. I. vt vt
sua alias dona habuerit, quorum vix aliquod si-
mulacrum in hodiernis Pontificibus deprehen-
dimus, idololatriæ cultus stabiliti, & fundamē-
ra labefacta sunt; doctrina scilicet fidei, doctrina
de sacramento Eucharistiæ; inductæ autē mona-
sticæ multæ superstitiones, stabilitum item do-
gma de Purgatorio, & de Sanctorū inuocatione.

Constantinus M. fidem Christianam semel
amplexus, religiosissime deinceps & sanctissime
perpetuo coluit; eandemq; fidem, vt oēs in vni-
uerso Romani regni orbe profiterentur, per edi-
cta mandauit: idolorū cultum post Maxentium
deuictum abnegauit: baptismum v. in senectam
vsque